

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XIX.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

epist. 67. erat autem Laodiceae, ubi mansit ad Idus Maii: quod significat lib. 5. ad Attic. epist. ult. et lib. 6. ad eundem epist. 2. ergo scripta est epistola non quibus consulibus Cicero iuit in prouinciam, Sulpicio et Marcello, sed quibus decessit Paullo et Marcello.

Dii approbent] Fortunent. quod enim dii approbant, prospere succedit.

Posteritatis otio] Posterius temporis otio. *Posteritas* enim non solum posteros, verum etiam poste-

rum tempus ostendit: ut orat. 1. in Catilinam c. 9. *Tametsi video, si mea voce perterritus ire in exsulum animum induxeris, quanta tempestas inuidiae nobis, si minus in praesens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat.* Et infra ibidem: *An inuidiam posteritatis times?* Caesar etiam lib. 1. de bell. ciu. c. 13. *Habeat rationem posteritatis, et periculi sui.*

Consules] *Prospicias consulas*, dixit lib. 3. epist. 2.

EPISTOLAE XIX.

ARGUMENTVM.

Ostendit, aptiorem sibi quaestorem obtingere non potuisse: et hortatur, ut maturet in prouinciam venire, antequam ipse decedat: pollicetur autem quaecumque ad eum ornandum conferre poterit. Paullo et Marcello coff.

EXPLANATIO.

Caldo] Cognomen Coeliorum in antiquo nummo humanissimi et eruditissimi hominis Fuluii Vrsini. Duos quaestores habuit Cicero in Ciliciensi prouincia, L. Mescinium Rufum, de quo lib. 5. epist. 19. 20. 21. lib. 13. epist. 26. lib. 16. epist. 4. et Cn. Volusium, de quo lib. 5. ad Attic. epist. 11. in extremo autem anno, discedente Volusio, (sic enim est credendum) successit Coelius Calvus, quem prouinciae decedens Cicero praeposuit. epist. 15. et lib. 6. ad Attic. epist. 6.

Te mihi quaestorem obtrigisse] In plerasque prouincias cum proconsulibus aut propraetoribus singuli iuris dicundi gratia quaestores ibant, in nonnullas bini, ut in Si-

ciliam Lilybaetanus, et Syracusanus: quod scriptum est apud Asconium. duos et Cicero habuit in Ciliciensi prouincia, Cn. Volusium, de quo lib. 5. ad Attic. epist. 11. et L. Mescinium, de quo lib. 13. epist. 26. lib. 16. epist. 4. et lib. 6. ad Attic. epist. 4. 7. nec tamen aliis, qui eandem prouinciam rexerant, duos quaestores fuisse arbitror: sed Ciceroni, ut tres *διακρίσεις* Asiaticae extra ordinem, sic honoris causa duo quaestores dati, quorum alter in quattuor veteribus dioeceseibus, Cilicia, Pamphylia, Lycania, Phrygiae maioris parte ultra Maeandrum, quae ab ordinario Ciliciae proconsule, vel propraetore simul omnes regebantur, alter in tribus nouis, ademptis Asiae prouinciae,

vinciae, Laodicea, Cibra, Apamea ius diceret. Volusium suspicor ante finem annui imperii, auocatum fortasse negotiis, discessisse, et in eius locum forte Coelium venisse, extremo, vt opinor, mense administrationis annuae. nam lib. 6. ad Attic. epist. 5. *Annuum tempus, inquit, prope iam meritum habebamus: dies enim XXXIII. erant reliqui.* Et infra: *Mihi decessio- nis dies λεγέσθως obrepat: qui cum aduenerit, ἄλλο πρόβλημα, quem praeficiam; nisi Calvus quaestor uenerit; de quo adhuc nihil certi habebamus.* Eum Cicero decedens prouinciae praeposuit: epist. 15. et lib. 6. ad Attic. epist. 6.

Eam sortem] Proconsules, et propraetores aut fortiebantur prouincias, aut comparabant inter se: quod lib. 1. epist. 9. ostendimus: quaestores autem non comparatione, quod equidem sciam, sed fortitione ibant in prouincias. lib. 1. ad Q. Fr. epist. 1. *Quaestorem habes non tuo iudicio delectum, sed eum, quem fors dedit.* Et pro Murena c. 8. *Quaestura utriusque propemodum pari momento sortis fuit.* Interdum tamen petentibus proconsulibus dabatur, vt, quem vellent, quaestorem sine sorte delectum in prouincias ducerent. quod Caesar Pompeiusque impetrarunt. lib. 6. ad Attic. epist. 6. *Pompeius Q. Cassium sine sorte delegit, Caesar Antonium: ego sorte datum offenderem?* Nec tamen id sine senatus consulto aut sine lege factum. de senatus consulto Liuius lib. 30. c. 33. *Laelium, cuius ante legati, eo anno quaestoris extra sortem ex senatus consulto opera utebatur, cum Italico equitatu ab sinistro corum opposuit.* De lege Cicero

orat. 2. in Antonium c. 20. *Quaestor es factus. deinde continuo sine senatus consulto, sine sorte, sine lege ad Caesarem ecurristi.*

Ad eam necessitudinem, quam nobis fors tribuisset] Maximam scilicet, ac liberorum necessitudini proximam. quod enim forte eueniebat, id euenire deorum voluntate veteres arbitrabantur. propterea fors diuina vocatur. Philip. 3. c. 10. *Qui sunt, inquit, quos fors diuina delectet?* Et post: *Duarum credo prouinciarum sortes minus diuinis fuisse.* Et in Diuinatione c. 20. *Accusauimus eum, cui quaestor fueram, quicum me fors, consuetudoque maiorum, quicum me deorum hominumque iudicium coniunxerat.* Quod ad necessitudinem attinet, mos maiorum, inquit lib. 13. epist. 10. *hanc quaesturae coniunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse.* et epist. 26. eiusdem libri: *L. Mescinius ea mecum necessitudine coniunctus est, mihi quaestor fuit. Sed hanc causam, quam ego, vt à maioribus accepi, semper grauem duxi, fecit viriute et humanitate sua iustior.* Et in Diuinatione c. 19. et orat. pro Plancio c. 11. *Necessitudo autem et necessitas idem sunt, et duobus modis accipiuntur, vel pro coniunctione sanguinis, aut amoris et officii. vt pro Sulla c. 1. Si nostram in accusatione sua necessitatem familiaritatemque violasset.* Et in oratione C. Caesaris, qua legem Plautiam suauit: *Equidem mihi videor pro nostra necessitate non labore, non opera, non industria de fuisse.* Vel pro eo, quod necesse est: vt saepe apud Ciceronem, Sallustium, et alios. vide Gellium lib. 13. c. 3.

Postea.

Posteaquam ERN. Postea, cum
Sic olim emendavi contra veteres libros, secutus videlicet consuetudinem Latinae linguae: quod alii, ut video, postea probarunt. moneo tamen lectorem, in omnibus antiquis libris, et quos ante multos annos vidi, et quibus nunc utor, plane scriptum esse *postea quam*, mendi origine, ut opinor, inde ducta, quod veteres, *quom*, pro *cum*, scribere soliti sunt. libro etiam 11. ad Attic. epist. 12. idem mendum sustuli. item lib. 2. de Leg. c. 25. quis non videt ita legendum, *postea, cum sumptuosa fieri funera, et lamentabilia coepissent: non postea, quam*.

Nihil neque a te ipso] Idem scripsit lib. 6. ad Attic. epist. 4.

In Cilicia] Quo se iturum nominis Mali, dixit epist. 13.

In castris] Ut rem militarem ante decessionem suam collocaret. epist. 13.

Officium] Erga me: quia scripsisti humanissime.

Ingenium] Quia scripsisti elegantissime.

Opportuno] Ut ante, quam decedam, in provinciam venire possis.

C. Virgilius] Qui Siciliam praetor administraverat, ut in orat. pro Plancio c. 40. Mirum est, quam hic omnes in mendo consentiant veteres libri, cum habeant, *consul Virgilius*: qui numquam consul fuit. ex littera C. quam librarii pro *consul*, interpretati sunt, vitium fluxit.

De tua praesertim dignitate] *Dignitatem* hic pro honore potius, quam pro existimatione, quae res gestas consequitur, Cicero usurpat, ut epist. 9.

Coniunctione] Quaesitor enim ei, cui quaesitor obtigit, arctissimo necessitudinis vinculo coniungitur. lib. 13. epist. 10.

Quaecumque] Alibi ponitur pro, *omnia quae*, subsequenter duobus verbis, ut, *quaecumque facis, mihi grata sunt*: hic pro *omnia*, simpliciter, unico subiuncto verbo: quidquid garriat inepta Grammaticorum turba. ubi enim eorum auctoritate, qui Latini sermonis usu et scientia floruerunt, probari aliquid posse video; quicquillas contemno. Sic lib. 3. ad Attic. epist. 21. *Te oro, ut, si quid erit, quod perspicias, quaecumque in partem, quam planissime ad me scribas. Et lib. 12. ad eundem epist. 21. Et orat. 2. in Catilinam c. 5. Quae sanari poterunt, quaecumque ratione sanabo. Et lib. 1. de Orat. c. 2. Permultos excellentes in quocumque genere videbis. Et Virgilius lib. 3. Aen.*

Ad te ERN. In te proficiscuntur] Ad Appium lib. 3. epist. 1. *Intellico, omnia, quae a me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima.*

Maxime tua] Quia cogitabat eum decedens provinciae praeposere. epist. 15. et lib. 6. ad Attic. epist. 4. cum de quaesitore Mescinio bene non existimaret, ut ibidem ostendit, et epist. 3. eiusdem libri.